

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

DE

M E T R I T I D E

Q U A M

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS, PERILLUSTRIS AC SPE-
CTABILIS DOMINI DECANI, NEC NON CLARISSIMO-
RUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE
LAUREA RITE OBTINENDA IN ALMA AC CELEBERRI-
MA UNIVERSITATE PESTIENSI PUBLICAE

DISQUISITIONI

S U B M I T T I T

NOBILIS J. CAROLUS FEST.



In theses adnexas disputabitur in palatio universitatis ma-
jori die Aug. 1831.

PESTINI,

TYPIS LANDERERIANIS.

MDCCCXXXI.

**AMICO SUO DILECTO
AURELIO KUNA.**



Metritis (hystoritis, hysteralgia inflammatoria, inflammatio uteri, *nádragyuladás*, *Gebärmutterentzündung*) frequentissimo in puerperis et gravidis mulieribus occurrit, sed sat frequenter etiam extra graviditatem et puerperium, imo, juxta quorundam recentiorum observata, ante pubertatis tempus, utero nondum perfecte evoluto, eandem interdum offendere licet. Omnibus, quas adgreditur, insidias struit facileque etiam, infausta morbi terminatione subsequente, trucidat.

Quaelibet morbi species, suis symptomatibus circumscripta, ab aliis distinguitur. Hinc in genere metritis dicitur morbus, qui pathognomonicè se manifestat dolore fixo, continuo, cum sensu gravitatis conjuncto, quem aegra profunde in pelvi persentit, quo adhuc, morbo quidquam intensiore, febris jam mitior, jam gravior pertinet.

Dolor itaque et sensus ponderis, in dicta abdominis regione percipiendus, cum febris sistunt necessaria metritidis symptomata, neque tamen sola, sed eis plerumque multa alia et diversissima accedunt; vario modo composita et semet excipientia; nunc mitiora, nunc graviora, respectu temporis, quo apparent, disparent, intenduntur, mitigantur multum diversa, pro diversitate intensitatis, extensionis, durationis et complicationis morbi, — quae omnia diversam, sub qua apparet, metritidi imaginem largiuntur.

Duplex est in genere ratio, qua morbi initium symptomatibus suis sensibus sese offert. Etenim nonnunquam symptomata febrilia adfectionem localem praecedunt, aliis vero et longe plurimis in casibus metritidi, ad certum usque gradum jam evolutae, febris supervenit. Nam plerumque praesenti dolori in hypogastrio initium febris, frigore sese manifestantis, accedit, sub cuius insultu plerumque characteristica metritidis symptomata evolvuntur.

Inflammationis substratum interdum solum peritoneum, externam uteri in cavo pelveos faciem obvolvens, constituit; longe frequentius vero membrana mucosa, e vagina in cavum uteri extensa, inflammatur, quod si leviori in gradu extra tempus periodi catamenialis aut puerperii accidat, catarrhi uterini symptomata in conspectum prodeunt. Quotiescunque inflammatio intensior est, ad membranas uteri, sive serosam, sive mucosam, haud restringitur, sed ipsum quoque parenchyma proprium adgreditur. In quacunque uteri parte inflammatio exoritur, dolor, quo adfectio localis sese manifestat, ab initio levior solummodo, obtusus est, nonnisi per vices, dum stimulantia, morbo faventia, accedant, exaltatur. Sed quotiescunque inflammatio validior, etiam dolor intensus intolerabilisque fere redditur adeo, ut aegrotae, multum inquietae, omnem uteri attactum, sive per vaginam, sive per externam pressionem instituendum, quam maxime horreant.

Sub exordio inflammationis, praepremis tempore graviditatis aut puerperii, ubi uterus majus offert volumen, ex diversa doloris sede cum variis

simul symptomatibus, illum comitantibus, etiam principalem inflammationis focum magna cum probabilitate definimus. Sic si solus uteri fundus inflammatus sit, quod praecipue in primo et medio graviditatis stadio obtinet, dolor supra symphysin ossium pubis umbilicum versus percipitur, quae abdominis regio tensa, dura, sub tactu dolet, et saepe sat manifeste, dum aegra situ horizontali in dorso jacet, per parietem abdominis uterum, globum durum, tumidum referentem, distinguere licet; facillimeque in hoc casu se adsociant: singultus, nausea, vomitiones et ipse vomitus. — Anteriorem uteri partem inflammata esse indicant: dolor, magis anteriora versus infra symphysin ossium pubis percipiendus; regio supra hanc et simul plerumque adfecta vesica urinaria sunt sub tactu sensiles, et superaccedunt stranguria, dischuria ischuria. — Parte uteri posteriore inflammata, dolores intensi posteriora versus ad regionem sacro-coccygeam extenduntur, et functio intestini recti ita perturbatur, ut molestissimus tenesmus cum excretionem alvi, summe dolorifica, exoritur. — Ubi inflammatio alterutrum uteri latus occupat, tunc facillime ad tubam Fallopiæ vel ovarium lateris adfecti extenditur, atque dolor molestus magis in regione inguinali percipitur. — Frequentissime inflammatio in collo uteri residet, quod ex dolore, quem aegra profunde in vagina persentit, cognoscitur; haec ipsa tunc, ut plurimum simul inflammata, magis turgida et sensilior est; regio perinaei tensa, subinde tumida, rubens et dolorifica invenitur; collum uteri profundius in vaginam descendit, quare aegra sibi

aliquid in vaginam propendere accusat, et dolor sub exploratione obstetricia, sub coitu et ipso incessu multum augetur; ipsa portio vaginalis uteri dura, tumens, multum calens, saepe sicca tangitur.

Quamprimum inflammatio diutius durat, partim magis extenditur, partim sensibilitas totius uteri morbose exaltatur, et hinc sedes principalis inflammationis amplius cum probabilitate vix definiiri potest; dolor intensissimus in omnibus dictis regionibus, cum febris inflammatoria valida conjunctus, percipitur.

Praeter dolorem hunc fixum, in regione uteri perceptibilem, se- et excretio uterina abnormis redditur; si tempore fluxus catamenialis aut lochiorum metritis evolvatur, et inflammatio valde intensa sit, aut praecipue membranam mucosam occupet, hi fluxus supprimuntur; ubi vero morbus mitior est, iidem largiores evadunt, unde in tali casu metrorrhagia vel lochia profusa symptoma inflammationis uteri constituunt. Eadem ratione etiam secretio mucosa, quae in utero et vagina obtinet, sub metritide a statu normali detorquetur; etenim sub morbo graviore siccitas membranae mucosae tam uteri, quam etiam vaginae adest; si vero inflammatio gradus minoris sit, secretio mucosa quantitate excedit et plerumque etiam qualitate alienatur, unde leucorrhoea non raro symptomatibus metritidis adnumeratur.

Symptomatibus hucusque adductis, magis ad tribum localium pertinentibus, ob magnum uteri cum propioribus et remotioribus organis consensum multa alia, memoratu dignissima, superaccidunt.

Frigus febrile sub initio morbi intensum est diuque durans, frigori paroxismi febris intermittentis analogum, sub quo tamen pulsus parvus, spastice contractus, durus, suam indolem, subsequente calore aut, prout interdum accidit, accedente etiam sudore, retinet. Cessante frigore febrili, symptomatibus topicis, crescente morbo, constanter gradu et extensitate incrementibus, extremitates, praecipue inferiores quidquam frigidae plerumque remanent, capite, thorace et abdomine interea intense calentibus. Sitis est magna, aegrae multum et frequenter bibunt; lingua rubra, sub morbo mitiore et initio etiam gravioris humida, serius sicca, saepissime mucro viscido vel flavicante oblecta. Metritide plenarie evoluta, facies singularem in lineamentis dolorum expressionem offert; cornea bulbi oculi splendet. conjunctiva rubet; genae praerubrae multum calent, et volae manuum sub tactu sensum caloris urentem excitant. Somnus, si quis interdum conceditur, est inquietus, interruptus, saepe cum deliriis alternans. Urinae paucae, flammeae absque sedimento cum majori vel minori difficultate excernuntur. Alvus obstipa plerumque, raro diarrhoea observatur. Cutis est sicca, calida, saepe partialiter in fronte et inter mammas sudans. Sub metritide plerumque etiam mammae ob intimum harum cum utero consensum morbose adficiuntur. Non datur itaque intensior uteri inflammatio, sub qua simul mammae non essent adfectae: plerumque in iis percipitur dolor pungens, continuus vel remittens, lactis tamen secretio fere semper perstat. Character generalis febris plerumque est inflammatorius,

jam mitior, jam gravior, cum typo subcontinente, praecipue si uteri parenchyma inflammatum sit, secus apertae vespertinae exacerbationes et matutinae remissiones observantur, et tunc febris formam gastricae, catarrhosae, vel rheumaticae communiter praesefert. Rarissimis solummodo in casibus ob constitutionem aegrae peculiarem, teneram, debilem, ob potentias nocentes, valde debilitantes, in illam agentes, regimen diaeteticum perversum, aut tractamen neglectum, incongruum, evolvitur febris characteris adynamico-nervosi, subinde etiam nervoso-putridi. Sed frequenter symptomata nervosa: lipothymia, singultus, intensus capitis dolor cum facie pallida, collapsa, tristi, pulsus ad speciem debilis et diversissima alia adynamiam, quae spuria est mentiuntur, minus expertum¹ decipiunt et ad tractamen perversum, stimulans, invitant.

Haec est facies morbi, quousque hic rapide decurrit et cursum suum felici vel infausto exitu intra septem usque quatuordecim dies terminat; ast alia etiam metritidis species valde frequenter occurrit, quae typo magis intermittente, minore intensitate, symptomatibus minus manifestis decursum suum absolvit. Metritis haec chronica dicta vel acutam insequitur, si haec imperfecte resolvatur, quod praecipue observare licet, dum inflammatio, post intensas irritationes vel laesionem orificii uteri tempore partus exorta, imperfecte resolvatur, vel etiam primarie post actionem causae cujusdam specificae, in uterum agentis, evolvitur. Quamvis haec forma metritidis frequentissime occurrat, ejusque diagnosi ob degeneraciones uteri, facile insequentes, maximi sit

momenti: saepe tamen cum colica catameniali, adfectionibus spasticis et aliis morbis facile confunditur et difficulter agnoscitur. Menstrua in aegrotis, mitritide chronica laborantibus, cum dolore, sensu communi alienato, motibus febrilibus turbata digestionem et alvina excretionem ingrediuntur; cum per hanc periodicam sanguinis ad uteri vasa congestionem chronica inflammatio huic acutae magis accedat; sed etiam extra periodum menstruorum saepe remanet gravitatis sensus in pelvi, imperfecta alvi excretio, dischuria, magna sensibilitas sub exploratione interna, sensus doloris sub profundiore pressione regionis, supra symphysim ossium pubis sitae, dolores sacrales, saepius recurrentes; profluvium e vagina, loturae carnis simile, mucosum albuminosum, flavescens, virescens, puriforme, foetidum, acre; frequenter febris mitior accedit et fluxus catamenialis diversa ratione a norma aberrat.

Complicatur metritis saepissime cum inflammationibus vicinorum organorum, praecipue vaginae, quae multis potentiis nocentibus, metritidem excitantibus, simul exposita est, porro tubarum et ovariorum, vesicae urinariae, intestini recti vel et totius tractus intestinorum cum ipso ventriculo, hepatis et lienis, peritonaei cum suis processibus, et diaphragmatis. Saepe se adsociant adfectiones inflammatoriae pleurae et pulmonum. Vera gastrica complicatio quamvis subinde occurrat, nihilominus haec longe frequentius solum consensualis est, ex intimo, qui inter uterum et tubum cibarium intercedit, consensu repetenda. Rheumaticae adfectiones, ex una eademque cum metritide causa exor-

tae, haud raræ sunt. Spasmi diversarum partium in individuis sensibilibus atque in morbos nervosos dispositis sub decursu metritis, vel etiam dum hæc in infaustam terminationem nitatur, observantur. Cel. Siebold qua constantem metritis, sub partu exortæ et male tractatæ, complicationem fere epidemice miliaria maligna observavit.

Diversum sortitur metritis exitum: vel nimirum in sanitatem, vel in alios morbos abit, aut mortem inducit.

Directus metritis transitus in sanitatem fit beneficio resolutionis, si morbus, ex causa non nimis irritante exortus, individuum juvenile, viribus sufficientibus pollens, detineat ac debite tractetur; tunc observatur quidem, quod dolor et febris septimam usque vel nonam morbi diem persistent, imo sæpe etiam augeantur, et quod simul sensus communis alienatio, nausea, vomitus, diarrhoea, cephalæa, vertigo, susurrus aurium, deliria et reliqua symptomata consensualia increscant; nihilominus fiata hac periodo, prorumpente profuso sudore et aucta urinae secretionem, reversis, si fors suppressi fuerant, lochiis ac catameniis, dolor remittit, symptomata febrilia mitigantur, somnus redit, lingua depuratur, sicque sensim sensimque inflammatio resolvitur et reconvalescentiæ stadium ingruit. Nonnunquam diarrhoea præceps vel prægressis prodromis die critica comparet, præsertim tunc, si morbus ex saburra, vel animi adfectu exortus sit. Hæmorrhagiæ ex vasis hæmorrhoidalibus, ex naribus ipsa quoque hæmoptoë interdum, frequentius fluor mucosus, puriformis, foetidus, e vagina observantur. Sub evacuationibus criticis pulsus, antea parvus, durus.

fit mollis, undosus, plenior et tardior. Quo fortius in genere est individuum, eo intensior esse solet inflammatio, eo acutior hujus decursus; longior vero morbi duratio et nisus in chronicum decursum magis constitutioni debili ac irritabili competit, quo in casu saepe accidit, ut sub criticis evacuationibus, minus manifestis, febris paulatim decreseat et dolor mitior evadat, eo non obstante tamen cuncta metritidis chronicae symptomata evolvantur. Ipsa vero chronica metritis vel absque manifestis criticis evacuationibus resolvitur, et symptomata paulatim in abdomine et reliquo corpore evanescent, vel si morbo suppressio alicujus effluvii aut morbi cutanei chronici subsit, reditum harum adfectionum reconvalescentia excipit.

Sed non semper tam faustum metritis, sive acuta, sive chronica, exitum sortitur: saepe ob causas diversas in varia inflammationis posthuma mala transit. Sub quo respectu inter terminationes metritidis primo transitum ejus in suppurationem notare convenit. Exitus hic magis in acuta, quam chronica inflammatione et praecipue, si illa nimis intensa et phlegmonosa sit, timendus est. Horripillatio, frequenter recurrens, quin in frigus verum augeatur, aut exacerbationem febrilem novam designaret; mutatio sensus doloris, antea pungentis, urentis, in pulsantem, prementem; motus febriles, post nonam vel decimam quartam morbi diem exorti, formationem abscessus indicant. Abscessus maturus dirumpitur et pus jam in cavum uteri et ex hoc per vaginam excernitur; jam in cavum pelvis effluens, hydropem abdominis, sic dictum purulentum, saepe sat cito mortem inducen-

tem, generat; jam viam in vesicam urinariam, intestinum rectum sibi legit, quo in casu cum urina vel faecibus evacuatur; nonnunquam tumore in alterutra regione inguinali exorto eoque disrupto, in conspectum prodit. Suppuratione in ulcerationem transeunte, phthisis uterina evolvitur, quae saepe intra breve tempus aegram orci faucibus tradit.

Periculosissimus metritidis transitus est in gangraenam. Timendus est hic exitus inflammationis, si nullum, ad frangendam ejus vim tempestive adhibitum remedium levamen adferat, dolor continuus increscat, pulsus minores, frequentiores, intermittentes fiant, calor natus in extremitatibus fere penitus evanescat, aegra in femoribus sensum fornicationis et stuporis percipiat, dolor repente cesset et nonnunquam foetidus ichor e vagina effluat. His praesentibus facies collabitur, nasus acuminatur, labia pallida tremunt, subsultus tendium et leves convulsiones accedunt, sub quibus aegra placide expirat. Terminatio haec post septimam morbi diem nunquam occurrit, plerumque tertia die, subin jam post primas viginti quatuor horas ingruit. Plurimum inflammatio phlegmosa in puerperis, constitutionis minus bonae, tempore epidemiae regnantium febrium malignarum et maxime tunc, si therapia in primo morbi stadio generosior antiphlogistica negligatur, frequentius in gangraenam, quam in suppurationem abit. In cadaveribus sectis uterus in pluribus non raro locis in massam lividam, pulposam, maculis rubris cinctam, immutatur, et si vesica urinaria aut intestinum rectum simul adfecta fuerint, etiam horum organorum devastationes deprehenduntur; praeterea saepe peri-

tonaeum et intestina pluribus in locis signa praegressae phlogosis exhibent; nonnunquam vagina eundem, ac uterus, habitum offert, et labia pudendorum tumida, livida vel nigra conspiciuntur.

Quemadmodum metritis acuta, phlegmonosa, peculiari in gangraenam distinguitur nisu, sic frequentissime inflammatio chronica in indurationem cum suis sequelis abit. Indurationis hujus, quam adhuc ipsa inflammatio saepe comitatur, frequentissima sedes est in cervice et orificio uteri, sed et in reliquis ejus partibus saepe occurrit et praecipue in diversis locis membranae serosae, uterum obvestientis, imo etiam in membrana mucosa et ipso uteri parenchymate observatur. Sub hoc metritidis exitu inflammatio imperfecte resolvitur, dolor intensior, febris cum reliquis suis symptomatibus imminuuntur quidem, ast signa, indurationem indicantia, caput suum extolunt. Signa haec saepe non satis manifesta sunt, sed induratio, quae in orificio vel colli uteri residet, facile per explorationem ex duritie, tumore et sensibilitate morbose adaucta harum partium cognoscitur. Secus ad ejus praesentiam, dum in reliquis uteri partibus sedem figat, concludimus, si sensus obtusus doloris, ustionis vel pressionis in aliqua uteri regione sub quibusdam corporis motibus et semper sub coitu admissio percipiatur; si iidem sensus morborum sub attactu regionis hypogastricae, quidquam expansae, excitentur; si profluvium e vagina sine dolore adsit; si continuo, vel solum sub alvi et urinae evacuatione, sub coitu dolor aut sensus, ac si aliquid per vaginam prolabi niteretur, percipiatur. Si induratio ad minorem uteri par-

tem restricta sit, huic natura sensim ita advescit, ut vix ulla aegrae incommoda inferat, saepe tamen per majorem uteri partem extensa, volumine illius aucto, uteri functionem turbat, anomalias fluxus catamenialis inducit, fluorem album pertinacem, abortum, sterilitatem producit et per compressionem mechanicam vicina organa in functionibus suis laedit. Quousque induratio talis simplex, per lympham exsudatam producta, benigna est, saepe ipsius vis naturae medicatricis beneficio, saepius artis auxilio resolvitur; subinde tamen scyrrhosam adipiscitur naturam atque in morbum molestissimum, degenerationem nimirum uteri canceraticam transit. Induratio hoc in casu plerumque volumine increscit, denuo inflammatur et inflammatio serius ocyus in ulcus canceraticum abit. Metamorphosis haec, prout ipse uteri cancer, manifestat se per denuo exortum, continuum, vespertino imprimis tempore intensiorem dolorem urentem; per sensum punctionum, saepius in ipso loco indurationis perceptibilem; per magnam sub exploratione sensibilitatem et partes genitales externas, tumentes; per fluorem e vagina, diverse tinctum, striis sanguineis mixtum, acrem, partes, super quas defluit arrodentem, foetidum; pro diversa mali sede etiam per duritiem, superficiem asperam, inaequalem, ulcerosam; excrescentia fungosa, quae nonnunquam sub exploratione interna inveniuntur; per turbatas functiones vesicae urinariae et intestini recti; per vehementes periodicos dolores in regione sacrali et femoribus. Catervae horum symptomatum superveniunt: febris depascens, cum colore cutis cachectico, flavo, virescente; frequentes haemorrhagiae,

donec tandem aegra sensim, nonnunquam repente sub praecipiti metrorrhagia et convulsionibus ab atrocibus suis cruciatibus morte exoptata liberatur.

Nonnunquam inflammatio exsudatione lymphae coagulabilis terminatur, cujus medio dein uterus cum vicinis organis concrescit. Si notabiliores uterum inter et gyros intestinorum vel mesenterium concretae obtinuerint, praecipue alvi excretio a norma recedit et plerumque obstructions, nisus in cogestiones etc. in systemate venae portarum remanent; concretae fundi et corporis uteri cum homonymis vesicae urinae partibus ex difficili urinae missione, spasticis vesicae urinae adfectionibus, ischuria etc. cognoscuntur. Denique concretae hae in ipsum quoque uterum morbose reagunt, ejus situm normalem in obliquum immutando, anomalias menstruorum inducendo et sterilitatem vel dispositionem ad morbosas adfectiones, sub initium graviditatis exoriendas, saepe lethales, provocando.

Nonnunquam morbosa fluidi serosi, lymphatici, puriformis, lactescentis, secretio et effusio, praegressa inflammatione, in cavum abdominis vel uteri accidit. Saepe tamen ipse uterus ab accumulato in suo parenchymate fluido seroso abnormiter expanditur, morbumque sistit sub nomine oedematis uteri vel hydrometrae oedematosae notum; sed majus adhuc adipiscitur uterus volumen, si collectio laticis serosi in cavo uteri fiat, seu in sic dicta hydrometra ascitica, qui status facile cum hydrope ascite, graviditate vera vel spuria, quam saepe mentitur, confunditur et ab hydrometra hydatica, seu cystica, seu vesiculari, in

qua humor in vesicis majoribus vel minoribus clausus detinetur, distinguendus est.

Tristissimus metritidis exitus mors est, quae frequentissime tunc insequitur, si inflammatio valida, per tempestive adhibitam generosam methodum antiphlogisticam non resoluta, in gangraenam transeat; sed exitus hic etiam per carcinoma uteri, suppurationem profusam et subsequam virium vitalium exhaustionem, nec non per alia diversa mala posthuma provocatur.

Exhibita metritidis tam acutae, quam chronicae descriptione et breviter delineatis decursu et diversis metritidem excipientibus morbis posthumis, convenit diversas, prout ab auctoribus adducuntur, metritidis divisiones commemorare. Inter diversitates, quae metritidi cum reliquis inflammationibus organorum nobilium in genere communes sunt, utpote: m. primaria et secundaria, idiopathica et symptomata etc., praecipue notari merentur: m., quae tempore puerperii et extra hoc occurrit; m. cum febre inflammatoria, nervosa vel putrida, cum statu gastrico saburrali vel bilioso complicata; m. catarrhosa, phlegmonosa et rheumatica, denique acuta et chronica.

In aetiologia metritidis causae praedisponentes, aequae ac occasionales considerandae veniunt. Ante pubertatis tempus, utero imperfecte evoluto, momentum causale praedisponens, in metritidem minime adest. Fluxu menstruo instante, fluente, cessante, item sub graviditate, partu, puerperio maxima est dispositio, praecipue in formam acutam; sed ubi fluxus catamenialis senectute incipiente cessat et dispositio in metritidem acutam dispa-

ret, eadem in chronicam remanet. Constitutio robusta, in morbos inflammatorios in genere prona, etiam metritidis, praecipue acutae, ortum promovet, sed et habitus debilis, irritabilis, formae metritidis chronicæ favet; quae utraque (acuta et chronica) maxime tunc exorietur, si genius epidemicus, annuus vel stationarius, morbis inflammatoriis praecipue favens, in ortum et decursum morborum imperium suum exerceat. Mulieres plethoricae, bene nutritae, quibus larga fluxerunt menstrua, sub partu vero parvam sanguinis quantitatem perdiderunt, facile in puerperio in hunc incidunt morbum, qui etiam saepe in adultioribus, prima vice parturientibus, observatur. Frequentes graviditates et partus, brevibus interstitiis intercessis recurrentes, abortus praegressus, diversi uteri morbi, tempore graviditatis, aut extra hoc praesentes, praecipue tales, qui indurationem in una aut pluribus uteri partibus relinquunt, dispositionem in metritidem multum augent.

Causae metritidis occasionales admodum frequentes sunt, ad quas omnes hae pertinent, quae systema sexuale sive physica, sive psychica ratione potenter concitant, aut ipsum uterum mechanice irritant; pertinent vero ad has, sive extra graviditatem, sive tempore graviditatis, sive sub partu vel puerperio metritidem eminenter excitare valent, sequentes: Communissima metritidis causa occasionalis est refrigerium, praecipue tempore menstruationis et fluxus lochiorum admissum,⁴ et omne id, quod momentosas has functiones turbat. Colica catamenialis, quae frequenter in mulieribus occurrit, quae leviter vestitae frigido anni tem-

pore, aut aestate et autumnno vesperi obambulant, saepe nil aliud est, quam incipiens inflammatio uteri. Frequens datur sub partu ipso refrigerium contrahendi occasio, et mulieres ipsae subinde ante tempus absquo debita circumspectione lectum deserunt et sic inimicae frigoris actioni sese exponunt. Amor sexualis vehemens in individuis nimis sensualibus, praesertim dum frustra lacessit; sed et alii animi affectus, praecipue tempore fluxus catamenialis et lochiorum, ut: magnus moeror, tristitia, timor, terror, gaudium subitaneum, metritidem excitare valent. Praeterea potus calefacientes, remedia sic dicta emmenagoga, menstruationem et abortum promoventia, purgantia drastica, polypi uteri et eorum incongrua, rudis tractatio, prolapsus uteri, hysterolaxia, pessaria, corpora peregrina, in vagina vel utero haerentia, injectiones in vaginam et uterum, nimis irritantes, spasmi intensi, stimulus sexualis nimis exaltatus, vel nymphomania, frequens et rudi ratione peractus coitus, onania, acris fluor albus, ulcera syphilitica in vagina causam occasionalem metritidi persaepe offerunt. Non raro plethora uteri, quae partum difficilem et dolorificum efficit, si debite non tractetur, futurae metritidi ansam praebet, quae etiam tunc facillime exoritur, si sub partu lento nimium contrahatur uterus, sive hujus contractionis nimiae causa in vitio aliquo uteri, sive in disproportione inter magnitudinem cavi pelveos et infantis, sive in alia quacunque sita fuerit. Sic etiam post difficiles manuales et instrumentales operationes, sicut: post adplicationem forcipis, praecipue si haec per minus exercita-

tum obstetricatorem cum laesione uteri fiat, post difficilem versionem, postquam pridem liquor amnii defluxisset, frequens est metritidem observandi occasio. Etiam ad partum promovendum fundi uteri pressio, rudis obstetricia investigatio, cum asperis digitis et unguibus non resectis peracta, saepe metritidem excitant. Non semper tamen ad exoriendum morbum perfecta traumatica laesio requiritur: saepe enim situs profundus capitis sub graviditate, pressio, quam segmentum uteri inferius, inter caput infantis et ossa pelveos situm, patitur, tentamina orificium uteri violenter extendendi, aut super caput infantis reprimendi jam sufficiunt ad inflammationem uteri provocandam. Artificialis secundinarum solutio, praecipue si placenta cum utero abnormiter cohaereat, vel plane concreta sit, aut indebitum hujus periodi tractamen frequens est metritis causa, quare jam cel. Haller celerem ac artificialem placentae solutionem vituperat et hanc naturae penitus committendam svaedet. Nonnunquam praesente metrorrhagia, si inepta, aut urgente necessitate, remedia calefacientia, stimulantia, in auxilium vocentur, manus in uteri cavum imponatur, injectiones cum liquido frigido, acri, fiant, fomenta frigida abdomini imponantur, metritis exoritur. Si partu peracto aliqua ovi pars in utero remaneat, vel adhuc alia producta morbosa molae, polypi praesentia sint, plerisque in casibus, ob irritationem utero illatam, inflammatio evolvitur. Licet metritis nonnunquam post subitanam secretionis lactis suppressionem occurrat: tamen paucis solum in casibus ea pro effectu metastasis laeteae haberi

potest, cum et suppressio lactis et inflammatio uteri unius ejusdemque causae excitantis effectus, v. g. animi affectus, refrigerii etc., esse possint. Non est negandus nexus causalis inter suppressionem fluxus haemorrhoidalis et metritidem. Nam secretio haec sanguinea arctissimo nexu cum circuitu sanguinis, qui in utero obtinet, cohaeret, ut adeoque illius suppressio non possit non obpletionem vasorum uteri efficere et per id praecipuum ad exoriendam inflammationem uteri momentum largiri. Metastatica ratione metritidem saepe oriri observatum est, post retrogressum exanthematum, uti: miliarium, scarlatinae vel rubeolarum; vel post violenter suppressos alios morbos cutaneos, tineam capitis, scabiem etc.; post cito sanata inveterata ulcera, praecipue pedum, vel etiam post suppressum paroxysmum arthriticum. Arthritis sola jam ut causa metritidis remota considerari potest, cum per eam, sicut etiam per morbum scrophulosum, rhachiticum, facile stases et parvae, nonnunquam indolis benignae, saepe tamen malignae, indurationes in utero exoriantur. Saburra primarum viarum, cujuscunque generis, nonnunquam metritidem excitat, sed illa saepius effectus morbi est; copiosa enim pseudo gastrica symptomata, sicut: lingua impura, nausea, vomitus etc., pro causa metritidis excitante habebantur. Quod nonnullo tempore frequentius metritis grassetur, hoc in tempestatis constitutione probabiliter situm; epidemice regnans morbus ab aliis observatoribus valde raro, ab aliis nunquam observatus est, ejusdem contagium nequaquam demonstrari potest. Symptomata ratione saepius no-

tritidem, prout aliorum viscerum abdominalium inflammationes, oriri videmus in febribus adynamicis intensioribus; in feбри puerperali, in qua nonnunquam initio morbus primarius esse videtur, saepius tamen solum sub finem morbi qua ejusdem infaustum symptoma accedit.

Expositis causis metritidis remotis, scientiae medicae nunc esset, morbum internum, qui metritidi subest, hujus igitur naturam internam, seu ut dicunt, causam illius proximam dilucidare, ast hoc eousquo nequaquam succedet, quousque in genere omnium inflammationum intima natura eruta atque exposita non fuerit. Phoenomena, metritidem comitantia, remedia, quibus devincitur, evinunt quidem actionem vitalem, in systemate irritabili morbose excedentem, simulque systema nervosum affectum esse, quae tamen his mutationibus iterum, subsit causa, hucusque cum certitudine deliniri non potuit.

Perspecta metritidis nosographia et aetiologia, medici etiam est morbi in aegram vim rite aestimare et, quae huic imminet, sortem praenoscerere et praedicare. Prognosis metritidis multum quidem pro diversitate individualitatis corporum, diversis causis excitantibus etc. variat, in genere tamen, prout aliae organorum nobilium inflammationes, partim ob dignitatem uteri magnam, partim ob intensam, quae se ei plerumque adsooiat, febrim morbus periculosus adnumerandus est, quamvis negari non possit, plerisque in casibus, si therapia, gradui morbi adcommodata antiphlogistica debito tempore in auxilium vocetur, quod aegrae exoptatae restituantur sanitati. Quod singulas uteri

partes, morbo eminenter correptas, attinet, maxime infausta prognosis pronuntiari debet, si inflammatio phlegmonosa sit, praecipue tunc, si aegra sub circumstantiis versetur, quae febris transitum in characterem adynamicum, vel inflammationis in gangraenam minantur. In individuis junioribus metritis majori quidem cum intensitate decurrit, sed facilius etiam absque residuis malis posthumis resolvitur, quam in aetate provectoribus. Etiam morbi stadium, sub quo medicus in aegrae auxilium adpellatus est, magnae dignitatis momentum prognosticum largitur. In definienda prognosi metritidis chronicae maxime medico ad durationem et gradum morbi, ad nefors jam supervenientes degeneraciones, indurationes, concreciones, collectiones serosas et cetera respiciendum erit; nam juxta haec momenta probabilem ulteriorem morbi decursum et possibilitatem sanationis determinare licet. Specialior metritidis prognosis quam maxime ab eo dependet, an morbus in puerperio, graviditate, aut extra haec tempora exortus sit? sic observatur metritis periculosa in juvenibus, robustis, plethoricis puellis, constitutionis irritabilis, quae tempore primae menstruationis se evolvit; minus periculosa est in iis, quae decrepitudini jam viciniore sunt. Inflammatio phlegmonosa uteri gravidi periculi plena est, si cito non resolvatur, aut haemorrhagia, vel abortus non insequantur; superficialis uteri inflammatio sibi relicta facile in phlegmonosam transit et periculosa evadit; si tamen dolores mitiores fiant, ad unum punctum concentrentur, febrisque decrescat, suspicio de exorta uteri eum partibus vicinis, vel

superficiei internaë cum chorio vel placenta concretionem adest, periculumque tunc, ob limitem inflammationi positum minus est. Si inflammatio in suppurationem abeat, hujusque sedes in inferiori uteri segmento aut ipso collo sit, spes gravidam (aut secus quamcunque aliam) servandi adest, cum in tali casu citius et facilius pus evacuatur; si abscessus in fundo uteri sedeat, is plerumque sub partu rumpitur, et hoc finito, pus per vaginam effluit, sed mox saepissime mors insequitur. Metritis puerperam invadens est semper morbus gravissimus, nam saepe celeriter decurrit et aegram morti tradit, vel etiam per morbos posthumeros, in quos transit, aegritudinem chronicam et mortem inducit. Quo citius post partum, praecipue ante rite procedentem lactis secretionem, morbus exoriatur, eo majus plerumque periculum esse solet, cum et hic decursus admodum acutus sit. Si jam sub graviditate chronica metritis aderat et post partum haec in acutam transmutetur, difficillime curatur et plerumque vitam adimit. Infausta porro prognosis statui debet, si ex causa traumatica inflammatio exorta sit, quod post caput diu incuneatum, adplicationem forcipis, versionem, sectionem caesaream, artificialem secundinarum solutionem etc. accidere solet. Suppressio fluxus lochialis, quae semper necessario cum inflammatione superficiei internaë uteri conjuncta est, morbum efficit periculosum, et talis inflammatio, ut ipsa phlegmonosa, maxime in posthuma degenerationis vitia nititur. Periculum inflammationis superficiei externaë uteri maxime in eo situm est, quod morbus facillime ad partes vicinas, peritoneum, ovaria, tubas et in genere

ad omnia, in cavo abdominis recondita organa propagetur; haec in specie metritis est, quam aliqui auctores pro initio febris puerperalis habent, vel quae necessario cum hac conjungitur.

Rationalis metritis, sicut cujusvis alterius morbi, therapia, tribus innititur indicationibus, quarum prima causam, quae morbum excitavit, si adhuc constet, abigere, altera morbum, qui metritidi subest, tollere, tertia convalescentis ex metritide in integrum restitutionem promovere jubet.

Nullius unquam morbi medela e votis procedit, nisi, quae morbum fecerunt et ulterius alunt, causae sublatae aut confectae fuerint, id quod etiam de metritide valet. Si itaque corpus peregrinum, quod metritidem excitavit, in vagina vel utero haereat, illud sine mora suo modo amovendum est. Ubi morbus est symptomaticus, aut ex metastasi exortus, tum morbi protopathici natura individualis indicantia suggeret. Si lac e mammis disparuit, hae fomento sicco obtegantur, inter scapulas rubefaciens imponatur et infans frequentius ad sugendum adplicetur, ut per irritationem secretio lactis revocetur. Si herpes aut alter morbus cutaneus antea aderat et disparuit, adplicentur vesicantia in illa loca, in quibus antea floruit.

Quamvis depulsa, quae metritidem provocavit, potentia nocente seu sic dicta causa occasionali, ideo tamen morbus exortus non illico silet, sed decursum suum jam breviorum, jam longiorum continuare pergit. Abacta igitur causa metritis occasionali, ipse, qui metritidi subest, morbus, sive causa illius proxima, extinguendus erit. Metritis, qua inflammatio considerata, in abnormi ex-

cedente actione vitali systematis irritabilis fundatur, essentia itaque generalis indicationis, contra ipsum morbum directae, consistit in eo, ut haec actio et reactio abnormis infringatur, quod per methodum antiphlogisticam gradui et stadio morbi, individualitati aegrae, genio epidemico, annuo et stationario, adcommodatam, perficimus. Methodo hac antiphlogistica jam sub principio morbi, dum causam occasionalem removeere studemus, inflammationis rationem habentes eandem resolvere conamur. Quo scopo regimen antiphlogisticum omni in casu ordinamus et, si inflammatio gravis sit, cum febris inflammatoria intensa conjuncta, universalem sanguinis evacuationem suscipimus, quam urgente necessitate etiam repetere cogimur. In casibus tamen longe pluribus sanguinis evacuationes topicae jam nos ad scopum optatum deducunt, quare hirudines numero 6, 12, 24 regioni jam perinaeae, jam hypogastricae, jam sacro-coccygeae imponimus, hancque haemorrhagiae excitationem bis terve repetimus. Moderata haec localis depletio sanguinis cum reliqua methodo antiphlogistica blandissima etiam in metritidibus sat intensis saepe sufficit. Haemorrhagias nimias excitandi, quod Gallicis, imponendo hirudines numero 100 una vice, solenne est, apud nos necessitas nunquam exposcit. Praeter sanguinis evacuationes maxime conveniunt decocta emollientia, olea blanda, manna, pulpa tamar. prun., dum haec non sufficiunt, calomel exhibemus. Subin accidit, ut per hanc methodum febris symptomata sileant, haec inflammationis majori ex parte dispareant, dolor tamen non omnis evanescat, tunc cataplasmata emollientia vel emol-

lienti-narcotica, vel in vicem eorum unguenta similia, clysmata emollientia vel emollienti-narcotica, semicupium tepidum sunt utilissima, nisi forte haemorrhagia adplicationem horum remediorum vetet, tunc et ubi illa non sufficiunt, iudicata sunt narcotica: Extr. hyosciami, cicutae; digitalis purpurea; aqua lauro cerasi vel acidum hydrocyanicum, quorum virtutes in metritide sananda per observatores medicos laudatae sunt; non raro majorem exerit virtutem opium jam solum, jam pro ratione circumstantiarum cum ipecacuanha vel calomele exhibitum. Nonnunquam in metritide nec ad haec remedia dolor omnis et secretio morbosa silet, tunc antagonistica remedia cuti adplicamus: sinapismos, unguentum, emplastrum cum tartaro emetico etc. a cantharidibus abstinemus, cum irritationem justo majorem facile et in utero et in organis uropoëticis excitent. Ubi in casibus rarissimis debilitas vera cum symptomatibus febris nervosae vel nervoso-putridae evolvuntur, ibi ad methodum stimulantem, roborantem, per statum individualem indicatam, recurrimus, in casibus non paucis camphora, subin et moschus utilissime fuerunt adhibita.

Evanitis inflammationis symptomatibus, reconvalescentiae etiam cura habenda est; diathesis enim ad morbum perdurat, ad quam delendam pro statu individuali aegrotae adhuc per tempus methodum antiphlogisticam mitiorem adhibere convenit; interdum remedia narcotica aut, ob debilitatem veram, nunc evolutam, roborantia indicata sunt.

Theses defendendae.

1.

Morum probitas est optimum contra innumeros morbos remedium prophylacticum.

2.

Inter partem placentae foetalem et uterinam nulla existit vasorum anastomosis.

3.

Qui ex omnibus theoriis medicinae systema universale eruere conatur, plurimum ad perfectionem scientiae confert.

4.

Vis naturae medicatrix non evertit medicinae necessitatem.

5.

Rheumatismus et arthritis sunt morbi prorsus distincti.

6.

Morborum observatio nusquam melius et exactius, quam in nosocomiis, rite ordinatis, fieri potest.

7.

Qui libros medico-practicos pro rerum medicarum imperitis conscribunt, plus nocent, quam prosunt.

8.

Pulmoni bruma, hepati aestas infensa.

9.

Non existit character certus, quo corpora organica ab anorganicis distinguuntur.

10.

Duo existunt tantum morborum atria: dynamicum — anima et materiale — systema dermaticum.

11.

Vena portae porta malorum (Kämpfii).

12.

Non datur morbus intermittens.

13.

Pluribus Hygiene, quam Jatrike longaevam vitam donat.

14.

Medici, qui formulas, nimis compositas, concinant, naturam morbi ignorant.



CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL